

Chasiddam à storgis vocitabat, ab aggere talpam,  
Ros fecit LUNÆ nomina, prada lupo.  
Ludit in humanis Superùm sapientia rebus;  
Sensibus in nostris provida cura DEI est.  
Qui nos composuit prudens genitricis in alvo,  
Naturæ matris conscius author erat.  
Vnde gerunt homines fatalia nomina, ut ADAM;  
Nam quæ fingit opus dextera, signat opus.  
In CHRISTI studium qui traxit SAXONAS olim  
CAROLVS, à factis MAGNVS in Orbe fuit.  
Rectius AVGVSTVS, quo vix augustior alter,  
Nomen habet, quoniam res, decus, auxit opes.  
Nec sua fortuito ceperunt nomina Reges,  
Quos genuit summo Danica terra loco.  
Quattuor à Christo vocem titulumq; trahentes  
Magnam de Regni dant pietate fidem.  
Doct̃or IOHANNES BUGENHAGIUS ipse coronam  
Imposuit Regni nomine REGIS avo.  
Cuius ad exemplum quoq; SAXONIS aula relapsa  
Edidit hoc binos nomine speq; DVCES.

PRIMUS CHRISTI ADES patriæ successor habena  
Post lustrum & menses octo reliquit onus.  
Omnia tunc luctu squalebant oppida & arces;  
Deflebat Dominum MISNIA mæsta suum.  
Spes tamen abscissâ monstrabat in arbore ramos,  
Vnde suo poterat tempore planta peti.  
EN sedet in folio patrio nunc surculus ille  
Consitus, & fructus parturit eximios.

A iiij

Omnino

Pfal. 139.

CHRISTIA-  
NUS I. E-  
lector Saxo:  
5. annos, &  
8. menses.